



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Ervditiss. Ordinis
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

Henricus <Herpius>

Coloniæ, 1611

Quòd contemplationis sex sunt gradus: & de duobus primis, ac de duplici
imaginatione & cogitatione, scilicet speculatiua & practica. Cap. XXXIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37362

habitatis, sacris susceptionibus fecundantur, habitibus virtutum, & fructibus bonorum operum perficiuntur, quibus deiformiter adornantur. Nam deiformis adornatio, secundum Linconensem, est renouatio spiritus rationalis, & conformitas ipsius, prout est possibile, secundum amorem, scientiam, & operationem ad DEVM, ad quam deiformem adorationem attinget nostra possibilis assimilatō, vt amor referatur ad Spiritum sanctum, scientia ad Filium, & operatio ad Patrem. Est enim in nobis primò amor boni in genere, deinde scientia bonorum in specie, ex quibus proceditur in operationem singularium bonorum scitorum, & amatorum: sicque rationalis creatura, quantum est possibile. Deo debet assimilari, secundum amorem, scientiam & operationem, & ad eius imitationem reduci deiformiter. Quod totum operatur in nobis gustus ille verus sapientie salutaris, qui cognitionem experimentalem nobis administrat. Et quia in amore fit huiusmodi gustus, constat, secundum Hugonem, quòd qui ardentius diligunt, profundius prospiciunt, & subtilius discernunt. Et quia magis è vicino respiciunt, euidentius procul dubio cognoscunt. Ergo rectissimè, quanto magis amantur aeterna, tanto plenius gustantur, & perfectius cognoscuntur. Hinc super illud: *Ego sum qui sum*, dicit Vercellensis, id est, *ego sum esse in se reflexum*, vel entitas, quale nomen non percipitur, nisi ab apice principalis affectionis, quæ vnitur aternitati. Quasi diceret: Nemo me potest cognoscere, nisi per memetipsum. Nemo enim scit, nisi qui accipit per reuelationem, secundum Augustinum: Vel, vt dicit Haymo, qui ad hoc prædestinatus est vt cognoscat. Quod fit per vnitionem dilectionis, quæ est effectiua veræ cognitionis, qua vnitur Deo intellectualiter ignoto, & tamen cognito multo melius, quàm sit cognitio, in eo, quòd intellectualis est: quia eo quòd cognitionem intellectualem derelinquit, supra intellectum & mentem Deum cognoscit. Ex quo patet, quòd reuelatio superintellectualis non fit per intellectualem cognitionem, sed per ardentissimam, & superferuidam dilectionis cognitionem.

Exod. 3.

Quòd contemplationis sex sunt gradus: & de duobus primis, ac de duplici imaginatione & cogitatione, scilicet speculatiua & practica. Cap. XXXIX.

Ff 2

Trade



Rabeme post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.

Gradus cō-
templatio-
nis sex.

In libro Augustini de spiritu & anima tanguntur sex gradus, quibus ascenditur ad apicē contemplationis, quibus etiā feliciter ascenditur in Deum: Ad quos etiā reduci possunt gradus, quos Bernardus breuiter super Cantica enumerat, dicens: Contemplatorem verum & iubilatorem certum te iudico, si primū te perfecerit actio, si sensus ab exterioribus reuocet, si imaginabilia felici motu pertranscas, si rationabilia celeri motu percurras, si intelligibilia illuminata fide cognoscas, si in primo, vero, & summo bono, intelligentias & voluntatem tuam totā ponas, fugas vnde teneritudinem tuam enutrias, bibas vnde gaudeas, haurias vnde nunquam deficias. Vnde gradus istos in libro de spiritu & anima prosequens Augustinus, primū gradum ascendendi per contemplationē in Deum ponit in operatione sensū, per quam percipiuntur res corporales. Sensus autem est ea vis animæ, qua rerum corporearum corporeas percipit formas præsentis, quæ multipliciter & variè suam demonstrant Creatorem, eò quod *inuisibilia Dei à creatura mūdi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, & sempiterna virtus eius & diuinitas.* Et hæc est, secundū Augustinum, à temporalibus ad æterna regressio, & ex vita veteris hominis in nouum hominem reformatio, in creaturis scilicet querere & considerare omnium Creatorem. Vnde Bernardus ait: Quid enim hæc tanta formarum varietas, atque numerositas specierum in rebus conditis sunt, nisi quidam radij, solem deitatis demonstrantes quidem, quia verè est, à quo sunt, non tamen prorsus quid est, diffinientes? Itaque de ipso vides, sed non ipsum. Verū hoc genus videndi commune est. In promptu est enim omni v-

Sensus.

Rom 1.

tenti ratione secundū Apostolum, *inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Et pertinet ad vitam actiuam, cuius perfectio propriè non est gradus contemplationis, sed necessariò præcedens, tanquam disponens potentias contemplatiuas ad actus suos non impeditos & perfectos. Dicit enim Gregorius, quod qui contemplationis arcem ascendere desiderant, prius necesse est, vt in opere actionis perfectè se exercent. Vnde Bernardus: Cū anima in actione sua in aliud tendit, quàm in Deum, quamuis hoc faciat propter Deum, non est tamen Mariæ otium, sed Marthæ negotium: quæ adhuc *solicita est, & turbatur erga plurima.* Et non potest terrenorum actuum saltem tenui puluere non respergi: quem tamen citò facileque detergit in hora fan-

Ibidem.

Lucæ 10.

ra sancta orationis, vel deuotionis casta intentio, quæ est intendere, &
 querere solum Deum, & propter ipsum solum, quod fidelis sponse
 proprium est, de qua intentione sufficienter præmissum est. Secundum
 verò gradum contemplationis ponit in imaginatione, quæ est ea vis
 animæ, quæ rerum corporearum incorporeas suscipit formas, absen-
 tium, & præsentium; præteritorum, & futurorum: ut sic ipsa inter-
 rat, & quicquid exterius per sensum carnis haurit, intus per obsequiū
 rationi repræsentet. Imaginatio namq; simplicior & nobilior est potē-
 tijs sensitivis, cum ipsa solas similitudines obiectorum sensuum in se
 recolligat, & quo ad aliquid ab hoc loco, & ab hoc tempore abstrahat,
 & ideo naturam humanam magis appropinquare facit æternis, quàm
 sensus exteriores. Hinc dicit Richardus: Ad inuisibilem cognitionē
 ratio nunquam adürgeret, nisi ei ancilla sua, scilicet imaginatio, vi-
 sibilem formas repræsentaret: sine quarum cognitione ad celestium
 contemplationem nunquam ascēderet. Quapropter efficaciter ad con-
 templationem disponit, exteriores sensus ad interiora reducens, quod
 est greges, id est, sensus bestiales, minare cum Moysē *ad interiora de-*
serti. Hunc etiam gradum Origenes ponit secundum gradum contē-
 plationis. Vbi enim actiua vita terminatur, ibidē ordinatē contem-
 platiua vita inchoatur, & gradatim sursum ascendit, donec in visionē
 intuitiuam consummatur. Hic tamen notandū, quod duplex distin-
 guitur imaginatio. Et quia cogitatio oritur ex imaginatione, ideo &
 per consequens duplex cogitatio distinguitur. Quædam enim imagi-
 natio dicitur bestialis, quæ scilicet circa ea, quæ ante vidimus vel feci-
 mus, sine vtilitate & absque deliberatione versatur, vaga mente dis-
 currendo. Nec pertinet ad contemplationem, quia in illo gradu tan-
 tum res imaginamur. Sic quædam est cogitatio bestialis, de qua dicit
 Richardus: Cogitatio est improvidus animi respectus ad euagationē
 pronus, iuxta illud Genes. *Sensus enim & cogitatio humani cordis, in ma-*
lum prona sunt ab adolescentia sua. Et sic per diuersa quæque lento pe-
 de sine respectu peruentionis, passim huc illucq; vagatur, motu vago
 de vno in aliud transiens. Et de omni verbo otioso rationem redditu-
 ri sumus, multo magis tamen de omni cogitatione otiosa: qualis ta-
 men cogitatio minima iudicatur in genere cogitationum, nihil vtili-
 tatis conferens, sed animum tristem relinquens, & animam puluere
 venialium maculans. Hinc dicit Seneca: Cogitationes vagas & inu-
 tiles

Imagina-
tio.

Exod. 3.

Imaginatio
duplex.Imaginatio
bestialis.Cogitatio
Genes. 8.Matth. 22.
Lucæ 6.

Cogitatio
mala vtrū
sit peccatū.

tiles ac velut somno similes non recipies: quibus si animū tutum obsecraueris, cum omnia disposueris, tristis remanebis. Insuper addit Casiodorus super Psalm. Quocunq; tempore non cogitaueris Deum, puta tempus illud amisisse. Quòd si quæritur: Vtrum in cogitatione praua sit peccatum? Respondet Alexander de Hales in secundo, quòd quædam est cogitatio speculatiua, & hæc nō est peccatū, sed est occasio peccati. Quædam autē est practica, quæ scilicet procedit vsq; ad delectationem vel consensum, & illa est peccatum. Cum enim cogitatio praua pulsauerit animū, si mens renicitur, non est peccatū: si verò per desiderium ducitur, est peccatum, propter ipsam delectationem annexam. Et sic cogitatio iacere dicitur in anima, iuxta illud Isidori: Non est arbitrij nostri cogitationis prauæ suggestionibus præuenire: iacere autē in aliqua cogitationū, nostræ attinet volūtati. Id ad culpam non redigitur: istud culpæ propriæ imputatur. Et si quidem est cogitatio de veniali, procedēs ad delectationē vel cōsensum, est veniale peccatū. Si verò de mortali est, & procedit ad cōsensum operis vel delectationis, est mortale, nō propter cogitationē principaliter, sed propter consensum.

Imaginatio
rationalis.

Quædam autē imaginatio dicitur rationalis, quæ scilicet aliqua rationabiliter imaginamur ex ijs, quæ videmus: & illa sæpius vtimur in contemplatione, quia tunc rationi famulatur. Nec solum res imaginamur in hoc gradu, sed etiam rerum vtilitatem, rationem, ordinem, & ceteras conditiones rimamur, speculamur, & miramur: Quæ contemplatio consistit in imaginatione secundum rationem. Quamuis enim imaginatio ad rationem non ascendit, tamen (vt dicitur in lib. de spiritu & anima) remanens infra rationem, potest eam aliquammodo & quasi à longè deducere, & quædam ostendere, ad quæ non potest ipsa peruenire. Nam ratio multa cōcludit, ex imaginatione occasione accepta, quæ continuè ad iustitiam famulando, sensu absente vel quiescente. Sic quædam est cogitatio rationis ex hac imaginatione procedens, de qua dicit Psalmista: *Quoniam cogitatio hominis consuebitur tibi, & reliquie cogitationum diem festum agent tibi.* Et sic cogitatio tantum accipitur in bonum, vtpote à ratione directa. Vnde dicit Gregorius, quòd cogitationes ad modum ancillarum rationi subiiciuntur: quòd si à domo mentis ad momentum ratio discedat, quasi absente domina, cogitationum se clamor velut garrula ancillarum turba multiplicat. Vt autem ratio ad mentem redierit, mox se confusio tumultuosa compescit, & quasi ancillæ ad iniunctū opus se tacite reprimunt. Sic cogitationes protu-

Cogitatio
rationalis.
Psalm. 175.

protinus causis se proprijs ad vtilitatem subdunt. Deniq; si cogitatio sine ratione moueatur, vt ad cognoscendum aliquid ambiat, & ad hoc vehementer & fortiter insistat, iam non est cogitatio, sed modum cogitationis cogitando excedit, & cogitatio in meditationem transit.

Meditatio
vade ori-
atur.

De tertio gradu contemplationis, & de meditatione, qualiter terminatur in speculationem, & perficitur per diuinam inspirationem. Cap. XL.

Num, quem diligit anima mea, vidistis? Cantic. 3: Vigiles in operibus & exercitijs spiritualibus; studiosaque sedulitate fideliter aspirantes ad veram virtutum perfectionem; & caelestium contemplationem; anima sancta desiderijs veri profectus flagrans alloquitur, dicens: *Num quem diligit anima mea vidistis?* oculo mentali in creaturis, in scripturis, in flammigeris meditationibus & orationibus, seu in ignitis sursum actionibus, & internis inspirationibus. Vnde tertius gradus contemplationis in ratione consistit, quæ est ea vis animæ, quæ rerum corporearum naturas, formas, differentias, proprietates & accidentia cuncta percipit, incorporata, sed non extra corpora. Abstrahit enim à corporibus illa, quæ fundantur in corporibus, non actione, sed consideratione. Et hæc ratio sensum mentis acuit, vera à falsis distinguit, & imaginem Dei in se conseruat: quia per rationem anima non solum Deum esse cognoscit, sed etiam eius capax fit: & ideo incorporabiliter tam sensum, quam imaginationem excellit dignitate, & excedit operatione. Per rationem enim anima de Deo meditatatur, meditando contemplatur. Deus contemplatus amatur, & amatus habetur. Hæc est enim vis naturæ diuinitatis, secundum Augustinum, quod creaturæ rationali iam ratione videnti, non omnino ac penitus possit abscondi. Verus ergo contemplator es, secundum Origenem, si est in te transitus omnium imaginabilium, vt cum Psalmista dicas: *Elongaui fugiens*, scilicet omnem sensum & imaginationem, & *mansi in solitudine*. Super quo dicit Bernardus: Non fuit contentus exire, nisi longè se faceret, vt quiescere posset. Et si transilisti oblectamenta carnis, vt minime iam obedias concupiscentijs eius, nec tenearis illecebris eius, profecisti, & tu superasti; sed nondum te elongasti, nisi & irruentia vndique phantasmata corporearum similitudinum transuolare mentis puritate præualeas: hucusque noli tibi promittere requiem. Erras si citra te inuenire æstimas.

Ratio

Psal. 94.